



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Capvt VII. Quomodo intelligendum sit, diabolum cordibus hominum  
substantialiter non illabi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](#)

Chrysost. hunc  
in locum ad  
Hebreos.

met, seruus est, & omnia patitur ne moriatur: am-  
quia serui omnes erant mortis, quæ nondum soluta,  
dominabatur & regnabat.

## CAPUT VII.

*Quomodo intelligendum sit, diabolum cordibus homi-  
num substantialiter non illabi.*

**E**t si autem dictum est magnam esse diaboli vim  
atque energiam in corda eorum quos suo tene-  
subiugatos imperio: non est tamen existimandum quod  
substantialiter illabi hominum animis possit. Qua de-  
re vetus est quæstio, mota ex Gennadij quodam (vili-  
brū ille suum inscripsit) Ecclesiastico dogmate, quod  
his expressum est verbis: Dæmones per energiā ope-  
rationem non credimus substantialiter illabi animæ,  
sed applicatione & oppressionē vniri. Illabi autē men-  
ti, illi soli possibile est qui creauit: qui natura subsi-  
stens incorporeus, capabilis est facturæ suæ. Hoc igi-  
tur ideo verè est à Gennadio constitutum, quod so-  
lus Deus infinitus est & incircumscrip̄tus, adeoque  
totus ubique ut & ipsis hominū animis insit per suam  
substantiam intimus, conseruans eos ac vegetans, se-  
cretissimeque atque efficacissimè in iis quod voluerit  
inoperans. Id quod Gennadium significasse arbitror  
cum dicit: Qui natura subsistens incorporeus, capabi-  
lis est facturæ suæ. Incorporeum enim pro incircum-  
scripto atque infinito posuit: quod alioqui & dæmo-  
nes, & angeli sancti, ipsaque hominum mentes in-  
corporeæ sint. Itaque dæmones non illabuntur sub-  
stantialiter in hominum animas, intimè videlicet in-  
operando per penetrantem in eas sui substantiam: sed  
cùm & ipsi finita sint circumscriptaque natura, per  
applicationē atque oppressionem vniūtūr. Quoeriam  
fit ut voluntatis humanæ motum non habeant in po-  
testate, sed is solus de quo scriptum est: Cor hominis  
in manu

in manu Dei; ad quodcunque voluerit, vertet illud. Vnde nec ipsum consensum efficiunt voluntatis, sed perunt, vehementerque ad id incitant: admotis tam intus quam foris illecebris, quae sint ad inflammādum impellendumque quam accommodissimā: tanta planē humanę mentis seruata libertate, ut verissimè dicat Augustinus, nulla alia re mentem hominis fieri seruam libidinis, nisi propria voluntate. Hinc & venerabilis Beda, in illud Actorum scribens, ubi Petrus ait Ananiæ: Cur tentauit seu impleuit (ut Beda habebat lectio) satanas cor tuum? Notandum, ait, quod mentem hominis iuxta substātiā, nihil implere possit nisi creatrix Trinitas: quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctum, anima de his quae sunt creata, impletur. Implet verè satanas cor aliquius, non quidem ingrediens in eum & in sensum eius, neque introiens aditum cordis (siquidem potestas hæc solius Dei est) sed callida & fraudulēta deceptione animam in affectum malitiæ trahens; per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est. Impleuit ergo satanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo. Haec tenus Beda.

## CAPVT VIII.

*Non sic hominum genus sub diaboli tyrannidem ac potestatem decidisse, vt sub Dei esse potestate & prouidentia desineret.*

FALLERET VR vero permultum, qui sic opinatur hominem lapsum, hostis sui diaboli subiisse principatum: ut sub unius Dei potestate supremoque esse dominatu ac prouidentia desineret. non enim potuit creatura non intra sui conditoris (cuius sunt omnia) ditiones commorari, sine quo etsi potuit prauitatem suscipere (sicuti ex se se non ex illo deficiens suscepit) non potuit tamen vel in sua prauitate consistere, seu qualemcumque traducere vitam. usque adeò verum illud